

CASUS CANONICO-MORALIS

DE POENITENTIA

Titius, confessarius, propter aliquod delictum occultum, ab Ordinario sui loci, per sex menses, ab audiendis confessionibus secreto suspenditur. Dum uno mane Titius sacristiam ingreditur ad litandum, ei puer quidam occurrit ad confessionem apud illum faciendam. Titius corde dicit: 'Puer hic valde probabiliter peccata mortalia non habet. Ei dabo benedictionem et salvus ero'. Et ita facit. Sed ecce Caius qui eodem momento quo Titius benedictionem puero impertit, in sacristiam ingreditur et ad eundem Titium accedit eique genuflexus peccata mortalia confitetur. Confessarius poenitentem cum sola benedictione mittere non audens, de more Caium absolvit.

QUAERITUR

- I. Quenam materia sufficiens, libera, et necessaria dicenda sit in Sacramento Poenitentiae?
- II. Quid de modo agendi Titii quoad puerum de quo in casu?
- III. Num bene se gesserit Titius cum Caio?

SOLUTIO

Ad I. Moralistae, quoad Poenitentiae Sacramentum, distinguunt inter materiam proximam et materiam remotam¹. *Proxima*, quae in numerum trium poenitentis actuum refertur², in accusatione peccatorum a poenitente peracta consistit. Haec autem accusatio existentiam supponit peccatorum in ipso poenitente qui se accusat. Peccata vero quae nondum sunt per claves Ecclesiae directe remissa (Can. 901), constituunt materiam confessionis remotam. Haec remota materia adhuc distinguitur in *sufficientem, liberam et necessariam* (Can. 902). Peccata post baptismum commissa sunt materia sufficiens, sed libera, quando vel sunt mortalia iam directe potestate clavium remissa, vel sunt venialia sive remissa sive adhuc numquam remissa. Materia autem Sacramenti Poenitentiae necessaria sunt tantum peccata mortalia adhuc numquam directe per claves Ecclesiae remissa³.

¹ Cfr Tanquerey-Cimetier, *Synopsis Theologiae Moralis* (Ed. 12, 1936), t. In. 75, p. 49

² Est sententia communior contra nonnullos antiquiores theologos, qui putarunt materiam proximam haberi in *impositione manus* sacerdotis absolventis, et contra Scotistas aliosque, qui docent totam essentiam Sacramenti in *absolutione* tamquam materia et forma consistere. (Cfr Tanquerey-Cimetier, l. c., nn. 76-79).

³ Cfr Roberti-Palazzini, *Dizionario di Teologia Morale*, II Ed., 1957, sub voce *Penitenza*, p. 1062.

Ad II. His positis, puer de quo in casu, videtur per se non teneri ad confessionem faciendam, cum iuxta expositionem casus, peccata mortalia saltem probabiliter non habeat. Peccata enim venialia, si quae habet, sunt materia sufficiens et libera, minime vero necessaria. Unde puer poterat confessionem non facere, ac proinde et Titius sacerdos certior factus ex ipsa confessione de hac pueri conditione morali, poterat ei dicere ipsum absolutionem non indigere, illaque non data benedictionem tantum ei dare. Id enim saepe accidit cum pueris qui vel peccata sufficientia non habent vel sufficienter dispositi non sunt⁴. Haec simplex benedictio in tribunali Poenitentiae danda quibusdam in adiunctis ab Auctoribus vocatur dissimulatio, quae essentialiter distinguitur a simulatione⁵, ut infra dicemus.

Simulatio, quae consistit in signo sacramentali ferendo simul cum intentione non administrandi Sacramentum, licet alii putent illud revera administrari, est actio intrinsece mala, ac proinde numquam licita, nec ad salvandam quidem vitam. Dissimulatio, e contra, permitti potest ob motivum grave, uti esset fama poenitentis, immo etiam aliquando et ipsius confessarii. Sed in praxi, quid est quod distinguit in Sacramento Poenitentiae dissimulationem a simulatione? Videtur distinctionem poni debere in signo sacramentali ponendo *cum* vel *sine* intentione administrandi Sacramentum. Hoc autem postulat determinationem huius signi, quod idem esse videtur in simulatione quam in dissimulatione. Signum vero in Sacramento Poenitentiae est illa actio externa, qua confessarius intellegitur dare absolutionem poenitenti, quibusdam determinatis verbis et signo crucis utendo. Unde ille dicitur simulare absolutionem qui huiusmodi actionem ponit *frngendo* se ministrare sacramentum; dum qui simpliciter *occultat* veram collationem aut denegationem absolutionis, Sacramentum tantummodo dissimulat. Aliis verbis, in simulatione habetur deceptio omnium, non excluso poenitente; in dissimulatione habetur occultatio veritatis quoad omnes praeterquam poenitentem, idque ob graves rationes.

Ad casum quod attinet, si Titius absolutionem denegasset sub praetextu materiae liberae, de quo tamen certiozem fecisset ipsum puerum, tunc simplex benedictio a Titio impertita non esset simulatio, sed tantum dissimulatio, quamvis forsan puer jus habuisset ad absolutionem, si adfuisset materia sufficiens. Et quidem, etiamsi Titius revera simulasset absolutionem, decipiendo etiam poenitentem, nihilominus ipse

⁴ Tanqueray-Cimetier, l. c., n. 526, p. 283sq.; Cappello, *De Sacramentis*, Ed. VI, 1953, Marietti, vol. II, n. 551, p. 563.

⁵ *Dizionario di Teologia Morale*, sub voce *Simulazione (sotto l'aspetto giuridico)*, p. 1351; Prümmer, *Manuale Theologiae Moralis*, Herder & Co., Ed. 8, t. iii, nn. 81-83, p. 66sq.; Cappello, op. cit. Vol. I, n. 66sq., p. 59.

certe non incidisset in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ad normam canonis 2322, 1^o, cum haec provisio sese referat ad illos qui ad ordinem sacerdotalem non sunt promoti.

Ad III. Notandum est imprimis non agi de suspensione *censura*, cum suspensio in casu lata sit per modum poenae vindicativae seu ad praefinitum tempus, i.e. ad sex menses. Censura enim infligi nequit ad tempus determinatum: nam absolutio a censura non potest denegari cum primum delinquens a contumacia recesserit (Can. 2248 § 2; cf. etiam Can. 2298 n. 2). Ea autem quae habentur sub Tit. VIII Libri V Codicis Juris Canonici (cc. 2241-2285) sese referunt ad poenas medicinales seu censuras, non vero ad poenas vindicativas, nisi expresse id dicatur in ipsis canonibus (Cf. cc. 18-20). Unde applicari non posse videtur casui nostro praescriptum canonis 2284, qui de suspensione *censura* potius agit. Similiter dici debere videtur de applicatione canonis 2261 quoad legitimam petitionem fidelium a suspenso occulto⁶.

Quodsi tamen cuidam applicari posse videatur praescriptam canonis 2284, eo quod poena suspensionis in casu aequiparanda sit censurae, tunc certe excludere debemus sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, cum casus clare demonstret Episcopum hanc poenam infixisse Titio confessario per modum praecepti⁷; ideoque ex hoc capite absolutio in casu esset ad summum illicita, minime vero invalida. Potestne tamen dici hanc absolutionem fuisse invalidam ex capite revocationis ipsius potestatis jurisdictionis? Ex ipso facto limitationis poenae ad aliquod tempus praefinitum arguere possumus Episcopum in casu non declarasse se revocare ipsam jurisdictionis potestatem, idque multo minus *expresse* ut vult memoratus canon 2284. Nam quod aufertur per suspensionem ad tempus praefinitum ab audiendis confessionibus, non est *per se* ipsa potestas jurisdictionis, sed eius exercitium; ac proinde actus positi ab

⁶ Ubi Codex voluit poenam canonicam sub omni aspectu intelligere, hoc fecit expresse, ut e.g. in can. 985, n. 7. Cfr. Wernz-Vidal, *Jus Canonicum*, t. VII, Romae, 1937, n. 326, p. 338, et n. 329, p. 341. Ceteroquin et ipse can. 2284 expresse suspensionem, de qua agit, *censuram* vocat.

⁷ M. Conte a Coronata (*Institutiones Juris Canonici*, Vol. IV, Ed. III, Marietti, 1948) ter repetit sequens principium: 'Effectus poenae inflictæ seu irrogatæ aut declaratæ per praeceptum iidem sunt ac effectus poenae inflictæ seu declaratæ per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam' (l.c., n. 1693, p. 89). Idem principium ipse Auctor affirmat de excommunicatione (n. 1780, p. 215), et de suspensione (n. 1816, p. 258). Attamen, logice aequiparatio praecepti cum sententia aliquali restrictione delimitanda est. Ad hoc enim ut effectus sint iidem, praeceptum *publice* notificetur oportet. Scribit Cappello, in *Periodica*, XIX (1930), p. 38*: 'Si praeceptum, quo infligitur poena, publicetur e.g. in *Commentario officiali* S. Sedis vel in ephemeride officiali dioecesana, illud sententiae aequivalet, perspectu fine seu notorietate, ideoque eosdem ac sententia parit effectus iuridicos.' Cfr. etiam Roberti, *De Delictis et Poenis*, n. 263, p. 301.

huiusmodi suspenso, nisi accesserit sententia condemnatoria vel declaratoria, non essent invalidi, sed ad summum, iuxta iam dicta, illiciti. Diversa esset conclusio, ubi aliunde nota esset Episcopi voluntas, qua Ipse *expresse* declarasset se per suspensionem ab audiendis confessionibus semper intendere revocationem potestatis iurisdictionis⁸. Id enim nullo modo esset contra Jus Commune, licet forsan logicae non omnino consonum quando agitur de suspensione ad tempus praefinitum seu ad beneplacitum eiusdem Episcopi⁹.

Attamen, cum nos teneamus canonem 2284 non debere applicari in casu, eo quod agitur de poena vindicativa, quaestio solummodo reduci potest et debet ad applicationem canonis 209, seu ad suppletionem iurisdictionis in errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti. Controversiae autem inter Canonistas ac Moralistas hac in re, nedum validum, verum etiam licitum faciunt actum a Titio positum in audienda confessione atque danda absolutione Caio poenitenti saltem ex dubio positivo et probabili¹⁰.

A. BUONTEMPO

⁸ Ad rem quod attinet Mons. Prof. C. Bonnici die 3a Decembris, 1956, sequens quaesitum quod ipse Archiepiscopo fecit, coram sacerdotibus in Ecclesia Concathedrali congregatis, legit: 'Num Excellentia Vestra, cum aliquem Confessarium ab audiendis confessionibus ob delictum occultum suspendas, etiam tantum ad tempus, *expresse* intendas ipsam potestatem iurisdictionis revocare'.

Resp. Affirmative. Cfr Can. 2284.

(Editor's Note)

⁹ In canone 2284 Codex evidenter loquitur de *censura* suspensionis, quae, uti iam diximus, non potest per se infligi ad tempus seu ad beneplacitum Superioris, quia id esset contra ipsam censurae naturam. Censura enim auferrī debet eo ipso ac cessat in ipso suspenso contumacia (can. 2284, § 2). In hoc autem consisteret illogicitas revocationis ipsius potestatis iurisdictionis, quam Superior in ipso actu revocationis intenderet instaurare post praefinitum tempus. Sed si cogitas de suspensione uti poena vindicativa (Can. 2298, n. 2), tunc quid prohibet quominus Superior per illam intendat revocare ipsam iurisdictionis potestatem? Canon enim 2229 divisionem tradit suspensionis censurae, non vero poenae vindicativae; et quidem haec divisio vim habet potius directivam interpretandi voluntatem eius qui suspensionem infligit; quae voluntas, si aliunde expressa habeatur, nulla alia indiget interpretatione praesumptiva.

¹⁰ Si Auctores deberemus citare, qui locuti sunt de iurisdictione suppleta, de qua in canone 209, non sufficeret spatium, quo uti possumus pro tota casus solutione. Sed sufficeret hic repetere quod habetur in *Dizionario di Teologia Morale*, scilicet: 'Come si è detto, questa interpretazione (i.e. eorum qui tenent sufficere errorem communem de iure, non tantum de facto) è oggi certa. Ma anche se si volesse retinere dubbia questa interpretazione, in forza dello stesso canone 209, che si applica anche nel dubbio positivo e probabile di diritto, è certo che la Chiesa supplisce la giurisdizione nell'errore comune non solo di fatto, ma anche di diritto' (op. cit., sub voce *Giurisdizione Supplita*, p. 628).